



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiæ Parisiorum, 1678**

Ad Eumdem Epistola.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**

Imbelli obtendens galeam , gens impia quando  
 Fas omne abrupit , ferro flammisque refutat  
 Crimina , & eversas Divorum ulciscitur aras.  
 Interea cœlum votis precibusque fatigans  
 Poscis opem , ac superos melioribus addere castris  
 Sollicitus curas : venient ad signa vocati ,  
 Ne dubita , victoque dabunt ex hoste triumphum  
 Ferdinandे tuis : & quod clementia munus  
 Prætulerit , pacem adjungent viætricibus armis.  
 Hanc pietas , & prisca fides , & casta sequetur  
 Relligio. Fugient fraudes , & amica furori  
 Hæresis ora regens mendaci turpia larvâ.  
 Cumque olim terras senior , te flente , relinquet ,  
 Cœlestemque animam cognatis inferet astris :  
 Tunc Paderæ Amisique jugo devincta sub uno  
 Flumina pacatas volvent felicius undas ;  
 Et Ferdinandi læto cum murmure nomen ,  
 Insignique ferent Musas trans æquora pompa.

## A D E U M D E M

### EPISTOLA.

**F**ERNANDO , patrem patriæ quem libera dixit  
 Luppia; cui Franci palmas celeremque triumphum,  
 Hermiones vieti pacem debere fatentur ;  
 Dicere quam mallet Commirius ipse , salutem  
 Extremis longe Caletum mittit ab oris.  
 Nescio quod tibi me secretis viribus astrum  
 Temperat , & ductos per tot discrimina rerum  
 Fortunæque animos arcano fœdere jungit.  
 Namque mihi insolito quatuntur pectora motu ,

Et

Et mira capti sensus dulcedine gliscunt ;  
Forte tuum nostras fando si perculit aures ,  
Incurritve oculis sparsum per carmina nomen :  
Carmina quæ grati fundunt tibi plurima vates ,  
Quæque ipse æternis dignaris credere chartis.  
Nec me adeo ceræ capiunt , & scuta vetustis  
Oblita imaginibus , titulique , & laudis avitæ  
Relliquiæ illustres : nec qui fastigia regum  
Te tollit super , atque ipsis cœlestibus æquat  
Pontificalis apex , mitræque insigne decorum ,  
Et baculus terris pariter metuendus & orco.  
Sunt hæc magna quidem , meritis & debita , princeps ,  
Dona tuis. Sed non solos fortuna merentes  
Adjuvat : & spreta quondam favor ambitioque  
Plus virtute valent. Tua denique , non alieni  
Quæ sunt juris , amo. Me me rapit igneus ardor  
Ingenii , & puro facundia purior amne :  
Atque expers fuci , & nativo aspersa lepore  
Simplicitas. Qualem tulit ætas aurea vatum :  
Cum regeret justis Romanum legibus orbem  
Augustus ; Pindi Mæcenas regna teneret.  
Sanctius his etiam , & nostro pretiosius ævo ,  
Quodque ipse ingenii vel corporis omnibus unum  
Muneribus præfers decus , in tua jura volentem  
Transtulit : eximius morum nitor , & bona mentis  
Sobrietas , pompaque animus non vietus honorum ,  
Fortunaque sua major , & dignus habere  
Quas contemnit opes ; expertaque rebus inquis  
Sæpe fides ; pietasque alto sub pectore fixa ;  
Religioque Dei cultum quæ servet & aras ,  
Quæque suum Christo melioribus asserat armis  
Imperium. Cordi religasti hæc vincula nostro :

L

Quæ renovas , quoties scalpro perfecta fideli  
 Effigies oculis sese mirantibus offert ;  
 Et placida frontis mihi majestate renidens ,  
 Permittit simul alternum & promittit amorem .  
 Ergo ego , quando vœtor voces audire loquentis ,  
 Aspectuque frui , calamo confabulor absens ;  
 Et desiderii pennis invectus , amoënos  
 Nunc lustro Paderæ fontes , & florea rura  
Neuhusii. Musas nunc tecum in valle reducta  
 Cantantes , tantoque beatas præside adoro .  
 Et juvat auditos imitando reddere cantus ,  
 Ac similes tentare modos non viribus æquis .  
 Nec revocare gradum , carasque relinquere sedes  
 Posse putem , Fernande : aurem ni vellat Aquinas  
 Austero increpitans vultu , invitumque reducat  
 In loca senta situ , & pungentibus horrida dumis .  
 Jamque vale : feror ingenti circumdatus umbra ;  
 Omnis & ex animo Phœbi lux pulchra refugit .

## E I D E M S O T E R I A.

*Cum è periculosisimo dysenteria morbo tandem  
effet recreatus.*

**Q**UAS superis reddam grates pro munere vitæ  
 Ferdinande tuæ ? Queis vatum turba piorum  
 Mecum aras cumulet donis te sospite fospes ,  
 Sublato interitura , simulque premenda sepulchro ?  
 Ipse quidem tanti cum nuntia fama pericli  
 Perculit infandis trepidas rumoribus aures :  
 Extemplo tenebris sensi per lumina obortis